

1335

C O D I C E S

1336

Status Formalitatum, quem *ms. Affisi* fervari ait. Duo igitur nova subpeditamus.

IV. fol. 123. rudiore calamo sequitur ejusdem Sodalitii *Petrus de Aquila in IV^{um} Sententiarum*. Initium est: *Samaritanus &c. Cir-*

ca primam dist. 4. Sententiarum in quo magister tractat de sacramentis et in quo magister ponit primam partem incidentalem &c. Terminatur hac clausula: Explicit 4^{us} petri de Aquila reportatus (descriptus) Parisius.

Hic est scotellus ortus ex prisco nouellus.

Et ad calcem adnexae Tabulae Quaestionum: *Explicit tabula in quartum petri de aquila. Comparatus ibidem Parisius* (quaedam erasa) *Anno domini M^o. CCC^o. XLIX^o*. Autor, quod *Johannem Duns* five *Scotum* doctrina et acumine aemularetur, *Scotellus* dictus, etiam *ἀνορομασικως* *Doctor sufficiens* audiit, et a. 1347. ad Episcopatum *S. Angeli de Lombardis* in Regno *Neap.* provectus parum ultra annum superfuit. Quaestiones ejus in omnes IV. *Sententiarum Libros* lucem primum videre *Spirae per Petrum Drach* 1480. non tamen opera *Constantii Card. Sarnani*, ut habet *Waddingus suprac.* p. 275. neque hujus Viri opera *Venet.* 1484. ut fortassis error typi est apud *Fabric. Bibl. med. Lat.* L. XV. pro anno 1584. quo anno *F. Constantius de Sarnano Buccafocus O. M. Felici Peretto Card. a Monte Alto* Editionem *Petri*, quae mihi objacet, inscripsit renuntiatus ab eo Cardinalis, dum *Sixti V.* vocabulo *Petri* claves reperisset.

V. fol. 153. p. 2. succedit a difficili manu *Sermo in laudem Ord. S. Francisci* hoc Themate: *Religio munda et immaculata apud*

deum patrem hec est. Jac. I. quod ait Orator adplicitum fuisse huic Ordini a *Nicolao III.* in *Constit. Exiit qui seminat &c.* Ad calcem notavit *F. VI. de ualkenstein a. M^o. CCC^o. L^o. Parisiis* fuisse incendium lune die sabbati post epiphaniam domini hora VI. minuto XVII.

VI. fol. 157. Discutitur Quaestio dialectica: *Vtrum plures termini subordinati sint idem ex natura rei.*

DXCII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 113 Folior. 421. 4. non una manu currente conscriptus, rubricis enotatus, et olim, ut praefert theca anterior, legatus collegio beate marie virginis domus rubee rose apud fratres Predicatores in *Wienna* a *M. Thoma de Wulderstarff* sacrae Paginae Doctore, *S. Stephani Canonico* et praefati Collegii superintendente fidelissimo tractat I. Quaestionem: *Vtrum regule philosophorum et aristotelis de syllogismis sufficiant generaliter ad katholice syllogisandum in diuinis.*

II. fol. 17. sequuntur Prolusiones II. in I. et II. *Librum Sententiarum.*

tiarum. Utriusque thema est: *In veritate viam Dei doces. Marci XII. 15.* Adhaerent quaedam Quaefita theologica.

III. fol. 38. *Lectura primi Sententiarum.* Post verba *Lombardi: Cupientes aliquid de penuria &c.* infit: *Huic libro totali Sententiarum Magister premittit prologum, in quo tangit causas suscepti operis &c.*

IV. fol. 200. p. 2. *Lectura secundi Libri:* Post *Lombardi* verba: *Creationem rerum insinuans scriptura &c.* incipit: *Iste est 2^{us} liber Sententiarum in quo Magister determinat de rerum creatione &c.*

V. fol. 386. succedit Dubiorum circa hos Libros solutio.

DXCIII.

U. 106 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 276. 4. currente calamo exaratus et rubricis distinctus frequentia continet: Quaestiones XIII. theologicas methodo scholastica pertractatas, quarum Prima: *Vtrum Dei et purissime virginis marie filius Christus qualibet dignitate similiter perfectionis formaliter sit immensus?* Deinceps dogmaticae et morales miscentur. In prima obiter adferitur Virginis sine originis labe Conceptus. Autor harum Disceptationum manifestus fit ex hoc Prooemii ingressu: *Dilecto socio et amico — fratri Gysoni de Colonia Bachalario actu legenti in sententias in vniuersitate Vxoniam famosa frater Johannes de Basilia per omnia suos &c.* Viros

hos *D. Augustini Eremitas* fuisse e mox sequente Librorum ejus de *Trinitate* citatione liquet, cui additur: *gloriosus pater noster Augustinus, meus et vester pater gloriosissimus Augustinus &c.* et quamvis *Gysonis* (*Geisonis*, *Getzonis*, *Godefridi*?) de *Colonia* mentionem non inueniam, memoratur tamen in *Ossingeri Biblioth. Augustin.* p. 440. *Johannes Hiltalinger de Basilea* mortuus *Friburgi Brisg.* 1389. cui inter alia Scripta e *Cod. Ratisb.* tribuuntur *Quaestiones X.* itaque tribus pauciores, quam quidem *Codex* noster offerat. Videant hoc loco, quomodo cum *Augustinianis* tranfigant *FF. Praedicatorum.* Nam et in horum *Scriptorib.* T. I. p. 696. occurrit *F. Johannes de Basilea* a. 1389. factus *Episcopus Lombariensis*, cum *Augustiniani* suum *Johannem* pariter *Ep. Luboriensem* faciant. Notat *Quetifus l. cit.* a *Trithemio* in *Scriptt. eccl. n. 732.* non exprimi, cujus *Ordinis* fuerit *Joh. de Basilea Ep. Lombariensis.* At exprimitur in ejus *Catal. illustr. Viror. Germ. fol. 37.* *Praedicatorum* fuisse, et floruisse circa an. 1410.

II. fol. 145. ut e *Subscriptionibus* eruitur, sequuntur *Quaestiones M. Henrici de Hassia* in *II. III. et IV. Sententiarum.* Initium in II. est: *Deinde tenentes contrarium questionis principalis istius articuli &c.* *Subscriptio: Finis questionum II. sententiarum Magistri Henrici de Hassia pie memorie et hoc in parte quantum in Vienna de ipsis inueniri valuit.* Initium docuit